IN EXEQUIJS EMINENTISS. ET REUERENDISS. CLAR. MEM. VLDERICI...

Giuseppe Pianetti

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTORES TYPOGRAPHVS.

VErerer, vt audax Iapeti genus, indignationem noſtri Antiſtitis, è cuius ſapientiæ Cœlo ignem hunc ſubtraxi, ſi fraude mala vobis inferrem, quæ ſubtraxi quidem, ſed non detraxi, lumina, quibus idem corruſcat, eorumque propterea, vt facum, quibus ampliſſimum defuncti Principis Cœnatophium, to-

Digitized by Google

tamquè Eccleſiam vndiquè illuſtrauit, liberaliſſimum non agnouiſſem, & ipſe Cneo Flauio fœlicior, dum arcana eius ſcientiarum peruulgo, inſimul non ſperarem, eius beneuolentia non deſtitui, dum veſtros plauſus, veſtrumquè amorem hoc munere nitor aucupari. Valete.

He-

Digitized by Google

HEroum geſta, qui aliorum exempla, & humanæ virtutis limites exceſſere, oculis ita defixis, atquè attonitis intuemur, vt, velut cœtera deſpicientes, eorum etiam genus, licèt ampliſſimum, & præclara maiorum facinora, quæquè vère ipſorum propria vocari non poſſunt, tamquam inferiora, negligamus. Non immeritò proinde fabuloſa vetuſtas, quæ in Hercule Heroum ſpecimen effinxit, vt nobis innueret, nec ſubducto Promethei igne, nec flammeo Solis lumine, nec æthereo Iouis fulgore; poſſe ab alijs nitidiſſimum Heroum iubar, iugemquè amplitudinis eorum ſplendorem, aut accendi, aut augeri, ad ipſius conceptionem noctium tenebras prorogauit, paruulumquè adhuc in cunis ſolida, ac virili patris vi, & altiori eius animo præditum expreſſit, vt poſtea in adulta ætate, non amplius ob Patrem filius, eiuſquè Cœleſtis origo, ſed ob filium Cœlo dignum, egregiaquè eius acta, pollutum à Patre coniugium, & in Cœlorum regiam turpiter inuecta crimina, in illis fidei tenebris impia laude celebrarentur: nec ex pluribus Iunonis æmulis eadem antiquitas ſolam Semelem eius aſtu peremptam deſcripſit, niſi ex eo, quod iſta præ cœteris Tonantis amore tumida, æthereo fulgore, amiſſi pudoris labem voluit inſigniri, velut eo clariorem paritura filium, quem alioquin clariſſimum ex illius ardore edidit temulentum: nec Alexandri fortunata potius temeritas, quam bellica virtus, per ſapientum ora decantari audiretur, niſi ad captanda aliundè Elogia, quæ propria iam virtute meruerat, inani voto, & patrem Ammonem, & matris adulteria concupiſſet; Vnde Sacræ litteræ, dum Heroum potiſſimos deſcripſere, vt ad ſolum bonorum omnium authorem virtutum culmina referantur, vel eà expoſuere aſſecutos, poſtquam Patriam, Domum, atquè cognationem, imo, & propriam deſeruere voluntatem, vel enunciando eorum geſta,

Digitized by Google

ſpecioſiſquè nominibus Sacerdotis altiſſimi, & Regis Pacis, atquè iuſtitiæ, eximiam eorum dignitatem, vt vniuerſam eorumdem genealogiam præterirent, Patris, etiam, ac Matris ſolitam mentionem omiſere. Non igitur abſquè Diuini numinis impulſu factum exiſtimo, vt ipſe, qui me imparem agnoſco efferendis laudibus Vlderici Cardinalis Carpinei, cuius glorioſis manibus iuſta perſoluimus, non ſecus, quam detracto onere, imbecillitati meæ conſulendum putauerim, ijſquè propterea ſilentio præteritis, qui ex inclyta eius Familia pacis, & belli artibus, Principum affinitatibus, antiquis opibus, aſſeclarum copijs, geſtorum, ac nominis celebritate, longo, ſupremoquè dominatu, & cùm profanis, tùm Eccleſiaſticis dignitatibus, quibus etiam maxima cum laude potiuntur, perpetuò enituere, ea duntaxat enarrem, quæ defixa mente ſummopere demiror, quæquè ſibi, vt præcipua vindicat Vldericus, ea inquam in quibus, nec aliorum virtus, nec humanarum viciſſitudinum opportunitas, nec ipſa fortuna, quæ velut rerum domina, omnia ſibi aſſerit, in gloriæ ſocietatem vlla ratione offerri poſſit. Expoſuiſſe itaquè ſufficiat, vt à prima Natalis luce egregiæ vitæ ſeriem ad hæc tempora deducam, noſtrum Vldericum in paterna Carpineorum ditione ex nobiliſſimis coniugibus Thoma, ſcilicet, Comite Carpineo, & Victoria Landriana Patritia Mediolanenſi ea nocte ortum habuiſſe, qua D. Philippus Nerius Sacerdotum Phœnix inter ardentiſſimas Diuini amoris flammas exuuias mortales depoſuit, vt non aliter quodammodo, quam ex eius Sanctiſſimis cineribus iſte noſter, & vere purpureus, & purpuratorum Phœnix conſurgeret præclariſſimus. Ex hac breui natalium, & maiorum deſignatione primum admirari incipiemus, quod in ampla, & ſplendida natus domo, in eaquè, vt credi poteſt, iuxta recentes potentium mores, molliter enutritus, non aliter ex ea, quam ex Chironis antro, atquè ſchola, ad ardua quæquè proceſſit. Vix enim ab incunabulis egreſſus, ſæculi oblectamentis irreuocabili proſcriptione damnatis, Sacram veſtem aſſumpſit, & nihilo ſecius Abbatis mores, quam inſignem eius titulum, quo religioſæ familiæ, & antiquæ auſteritatis Pater, & Antiſtes proprio vocabulo deſignatur; indicta etenim ſibi nobiliori pugna, quam olim in Darium, & in Orbem vniuerſum Alexander, ſe ipſum vincere, iracundiam cohibere, & animi motus ita in omnibus temperare admirabili conſtantia, & propoſuit, & incæpit, vt in ipſo rerum primordio, non tàm ſummis viris comparari

poſſe

Digitized by Google

poſſe videretur, quàm etiam (ſi fas eſſet antiquorum exemplis loqui) Deo ſimillimus iudicari. Quamobrem, vt ſuorum voluntati obſequeretur, nomen aulæ daturus, Fratris Antonij Barberini Cardinalis Sancti Honuphrij ſe addixit obſequio, vt ad eius normam mores, vt ſupra formatos, inuicta animi firmitate, communiret, eoſquè inſuper indueret, quos ille dulciſſimos hauſerat è proprijs Barberinorum Apibus, & mirifico ſale Seraficæ Diſciplinæ in Religioſo Cappuccinorum contubernio per plures annos ſuauiſſimè condierat. Ex hoc eximio Sanctitatis Lyceo, vnde, & Clemens Nonus Vrbis, & Orbis amor, & alij Eccleſiaſtici Proceres, tanquam ex Equi Troiani latebris prodiere, Vldericus noſter ad Eugubinam Eccleſiam euectus fuit, in eaquè vix triennium emenſus omnium plauſu a ſapientiſſimo, atquè munificentiſſimo tunc rerum, & meritorum arbitro Vrbano, ſcilicet, Octauo ad Purpuram promotus, vt & iſta roſea charitatis flamma, qua iam ipſe æſtuabat, velut aucta colore ſplendidius eniteret, cuiſquè integritatis, & innocentiæ candor purpuræ radijs ex illius Diœceſis terminis in Vrbem, atquè Orbem erumperet, & noſtra hæc Sancta Eccleſia, ad quam poſtea tranſlatus fuit, non primo albeſcentem diluculo, ſed in ipſo virtutum, atquè ſplendorum Apogæo, Solem, & lucidiſſimum, & feruentiſſimum aſpiceret, & in hoc potiſſimum ſolio veneraretur. Hac animaduerſione perterritus, ne deterrima mei comparatione eius laudes augerentur, ab hoc dicendi munere forſan abſtinuiſſem, niſi quouis etiam meo periculo mallem beneficentiſſimo Heroi beneficiorum, quibus me maximè affecit, gratam exhibere memoriam, & hac ſaltem virtute, quæ aliarum mater agnoſcitur ita demereri, vt in hac olim eius cathedra deſpici non poſſim, quam, & ſi antea præfulgentem glorioſo tot Martyrum ſanguine, eximia tot Confeſſorum pietate, ſingulari tot Patrum ſapientia, inclyta tot eius Filiorum ſanctitate, & Apoſtolica etiam eorum, atquè Alumnorum Tiara, inſigniquè tot aliorum Cardinalium Purpura, eam nihilominus Sanctiſſimis exemplis, atquè inſtitutis auxit vtiquè, & exornauit Vldericus. Immorabor itaquè in ijs præſertim, quæ ad noſtrum exemplum, noſtrumquè perpetuum beneficium idem Vldericus in hac Eccleſia geſſit equidem præclariſſima, vt ad immitationem earum virtutum, quas olim in eo ſuſpexiſtis, eius acta memoria recolentes, velut in lucidiſſimo ſpeculo, mecum intueamini illibatam, atquè in-

uictam

Digitized by Google

uictam pudici pectoris caſtitatem, Angelicum animi candorem, ſingularem vitæ, ac morum innocentiam, eximiam comitatem, indiuiduam nobiliſſimi cordis altitudine Chriſtianam, æquè, ac religioſam humilitatem, promptam, lætam, ac ſubmiſſam Eccleſiæ, Romanoquè Pontifici obedientiam, & obſequium, paternam in ſubditos charitatem, & inclytæ prudentiæ parem, vigilem curam, atquè ſollicitam prudentiam, piam, æquam, integerrimamquè iuſtitiam, & adeo egregiam in omnes pietatem, atquè clementiam, vt ob hanc præcipuam eius virtutem, vt caſtiſſimus ille olim Ægypti Præſes, amantiſſimus omnium pater nominari poſſe videretur. Quot enim, vt generatim omnia complectar, ne iterum rubore ſuffundam, quos dilutorum criminum extulit conſcientia, quot, inquam, ò Tudertes, ad huius candidiſſimæ Columbæ aſpectum, ad huius ſimpliciſſimæ Columbæ exemplum, ex ineluctabili peccatorum cœno, ex ſolidis laſciuiæ ſordibus, & ex altiſſimo vitiorum gurgite penitus emerſere, quot truces animos, ferales impetus, inuidas linguas, & inanes intollerabilis arrogantiæ cohibuere faſtus, quot religioſum Dei cultum, Eccleſiarum reuerentiam, in Eccleſiaſticos obſequium, in parentes pietatem, fidam in amicos beneuolentiam, & in omnes, ac in eos etiam, quos immiti odio proſequebantur, vel ab eo didicere, vel eo authore Cœleſtem propè ſibi conciliauere charitatem. Oh fœlix equidem, eo Præſide, eo Antiſtite, Tudertum, quæ namquè vitia; & ſi flagitioſiſſima, propriæ charitatis zelo ſtirpitus non euulſit, quas diſcordias, licèt maximas, & inueteratas, non ſedauit, non compoſuit, non extinxit, & quarum implicatarum litium inexplicabiles nodos, fatali velut enſe, non abſcidit, non diſſoluit, non diremit? Et, vt reliqua exponam inſignis eius, ac præclariſſimæ charitatis exempla, quem ægrotum non inuiſit, quem languidum non fouit, quem miſerum, & egentem non iuuit, quem tabidum, & marcentem pietate non focillauit intrepida, quem conſternatum, depreſſum, atquè iacentem, Diuina pœne clementia, non recreauit, non erexit, aut quibus demum, & ſalutaribus monitis, & omnibus fermè inclytæ charitatis officijs vberrimè non ſubuenit. Oh charitas verè patiens, quæ omnia ſufferens, nec abiectos deſpexit, nec moleſtos vitauit, nec ſaniem, aut vlcera, vt ijs mederetur, exhorruit, aut ægrotantium, aut peccatorum; Oh verè benigna, quæ, vt alijs opem ferret, & labores, & tædia, & pe-

& pecuniarum, atquè bonorum iacturas, detrimenta, effuſiones, vt æternas diuitias, æthereoſquè theſauros, & exiſtimauit, & appetijt, & exquiſiuit. Narrent modo, qui ab eo obtinuere muliebris pudicitiæ, genialis Thori, Sacrarum nuptiarum, atquè liberalium ſtudiorum ſuppetias. Narrent, qui eum aſpexere per huius Diœceſis pagos, per agros, & per villulas etiam, & ſi puſillas, & ſordidas, charitatis feruore vndiquè diſcurrentem, &, velut vna cum Purpura, animum quoquè D. Caroli glorioſiſſimi Mediolanenſium Præſulis induiſſet, cum flexuoſi, ardui, vel interupti calles commodiori eius itineri ſe opponerent; narrent etiam pedibus incedentem; & narrent, vt inter exantlatos ab Hercule labores, maximum illum, quem Carneades ſummis laudibus efferebat, in extinguendis ſub belluarum larua omnium deterrimis, atquè maximè monſtruoſis ignorantiæ erroribus; vt enim ille ex hominum animis aſſenſionem, ideſt opinationem, ac temeritatem extraxit, ita, & iſte è paruulorum, atquè rudium animis, vt viſitationis eius acta conteſtantur, eos imbuendo paterna charitate ipſis etiam primis fidei rudimentis, eorum tenebras effugauit; vt ille orbem terrarum monſtris expurgaturus, eius etiam deſerta, & ſolitudines peragrauit, ita, & iſte, vt immane inſcitiæ monſtrum ab agreſtium animis prorſus depelleret, atquè profligaret, Paſtoris Euangelici adinſtar, qui vndiquè ouem amiſſam quærit, in eorum etiam vicis, atquè mapalibus inſtruendos conquiſiuit, &, vt ille non quidem incuruis humeris, vt Poetæ fabulantur, ſed conſilio, atquè prudentia, non ad Cœlorum ſanè, ſed ad magiſtratus molem congruis viribus ſubſtinendam, Athlantem iuuit, ita, & iſte, & prudentiſſimis monitis, & ſaluberrimis decretis, & ſanctiſſimis præceptis; atquè legibus, non tàm ſibi ſubiectos Eccleſiarum Rectores, quam omnes etiam aliarum Diœceſum Antiſtites, & inſtruxit, & erudiuit. Oh vera equidem charitas, quæ, nec ambitioſa aliorum geſta æmulatur, ſed propria, & eximia ſine faſtu, & ſine inuidia communicat, & aliorum præclara cum voluptate amplectitur, ſuſpicit, & veneratur; oh vere perfecta charitas, quæ ſua non quærit, ſed aliena, quæ non gaudet ſuper iniquitate, ſed, iuxta Apoſtoli documentum, congaudet veritate, congaudet aliorum commodis, & ſpirituali præſertim aliorum fœlicitate. Amplificant alij, dum comparationibus vtuntur, eorum acta, quos celebrant, ſed ipſe, vt vereor, dum cum Hercule Vldericum

con-

conſero, in eum parcus, qui mihi liberaliſſimus, eius potius extenuabo laudes, niſi, & ipſe, vt olim antiquorum doctiſſimi, pro Hercule aſtrorum Principem, myſtica deſignatione aſſumptum velim. Solis enim adinſtar, qui omnia ſcrutatur, omnia colluſtrat, omnia excitat, omnia auget, omnia dirigit, ſeruat, atquè tuetur, & in abditos etiam terræ ſpecus, ſeu in eius intimas partes amico calore ſe inſinuat, vt ibi aurum producat, & nitidiſſimas gemmas liberaliſſimus effundat, ita prorſus hæc omnia, & alia quæquè beneficis radijs ſol in corporibus phyſicè operatur, in ſubditorum moribus, in ſubditorum animis, moralibus, & efficacioribus radijs inclytæ charitatis, geſſit vtiquè, & quidem præclariſſimè Vldericus? Si quis enim interroget, quiſnam in hac Diœceſi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Piarum ſodalitatum, Viduarum, atquè Pupillorum iura exquiſiuit, inſpexit, ponderauit, & aduerſus etiam potentiores, tam in iudicio, quàm extra ad palmam, & ad conſecutionem vſquè protexit, non ne omnes reſpondebitis, Vldericus? Quis totam vndiquè Diœceſim colluſtrauit, quis abuſus detexit, eoſquè reformauit, atquè correxit, quis ſalutis, quis pietatis, quis charitatis ſemitas indicauit, atquè direxit, non ne reſpondebitis, Vldericus? Quis ad peculiarem eorum ſollicitudinem, tàm corporum, quàm animarum Patres, tàm Reipublicæ, quam Domorum Præſides, debitamquè obedientiam, tàm naturæ, quàm Eccleſiæ filios, alioſquè ſubditos, ad beneficentiam diuites, ad largitatem tenaces, ad tollerantiam inopes, ad patientiam, rerumquè humanarum contemptum miſeros, ad manſuetudinem, atquè moderationem iracundos, & elatos, ad vigilantiam ſocordes, omneſquè alios ad præcipua munia, propriaſquè virtutes excitauit, atquè protraxit, non ne reſpondebitis, Vldericus? Quis virginalem modeſtiam, matronarum pudicitiam, quam alij nominauere Sanctitatem, ſublime, atquè præcipuum Eccleſiaſticorum decus, Eccleſiarum cultum, Immunitatem, atquè munditiem, propriamquè omnibus Dignitatem, atquè reuerentiam aſſeruit, prouexit, & vindicauit, non ne reſpondebitis, Vldericus? Quis Eccleſiaſticam diſciplinam, maiorum mores, & Inſtituta, Sanctiſſimaſquè eorum, & Eccleſiæ leges, cuſtodiuit, auxit, & exornauit, non ne forſan Vldericus? Quis priſtinis ſordibus, ſitu, atquè ſqualloribus Eccleſias deterſit, in eiſquè Sacramentorum adminiſtrationem, Diuinam pſalmodiam, Eccleſiaſticos ri-

mus, Sacraſquè Cœremonias, & præſertim in hac Cathedrali, vbi ad id hoc Presbyterium ampliauit, vt alia omnia ad rationis Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſticarum Conſtitutionum normam ordinauit, atquè diſpoſuit, non ne vtiquè Vldericus? Et vt alia omittam, quis nouendiale in Virginem parientem obſequium, piaſquè ad eam ſingulis ſabbatis, quas vocant Litaniarum Præces, inſtituit, & quis deniquè vſquè ad abyſſos, vltimoſquè purgantium receſſus ſalutari penetrauit prouidentia, non ne quidem Vldericus? Vldericus, inquam, qui piam Suffragij Congregationem inſtituendo, in purgantium animarum latebras regale quidem, ac iucundiſſimum inuexit aurum, & quot miſſas præſcripſit, quotquè poſt modum ex eius inſtitutione fuerunt celebratæ, tot gemmas ibi ſparſit, & quidem omnium pretioſiſſimas, adeo vt non inſulsè apud Elyſios Princeps Accademiæ Plato alterum ſolem exiſtimaſſe videatur, dum fœlices purgantium animæ beneficum hunc, & ſane lucidiſſimum earum ſolem lœtis oculis aſpexerunt. Oh verè lucidiſſimum virtutis, oh præclariſſimum pietatis, oh feruentiſſimum charitatis ſolem: tantum enim, ac talem eum præſertim hæc noſtra Ciuitas, & aſpexit, & agnouit, dum ad eius aduentum, ad eius aſpectum vehementiſſimo charitatis feruore, imò viua charitatis flamma æſtuaſſe, ac effulſiſſe memoratur, & poſt eius receſſum, eadem charitate nimium frigeſcente, vtinam algidi, & forſan inextinctæ charitatis tenebris non eſſemus. Receſſit namquè Vldericus, & ipſa Orbis Metropolis eum pariter, vt fulgidiſſimum Solem, & exoptauit, & aſpexit, dum nimis properè, vt in ea perenni, puroquè ſplendore corruſcaret, tamquam veſtræ fœlicitatis inuidia, à veſtris oculis eripuit, & deniquè Cœlum ipſum, quo hiſce diebus ſe contulit Vldericus, non aliter eum videtur pronunciaſſe, dum ad pauperum preces, vt olim ad vota ſecundi Hebræorum Ducis, eius occaſum diſtulit, donec in Petri Sede Pontificem illum obtinerent, cuius fidei, & charitatis ardorem, vt gelida, & remotiſſima Septemtrionis Regna, ita, & immenſa Pauperum agmina, quibus etiam antea largiſſimè ſubuenit, maxime comprobarunt; vnde niſi pro materiæ grauitate ad huius ſolis ſpiritalem vim, internumquè calorem explicandum, dum vera ſuperfluunt, ambigua, quæquè inſulſa videri poſſent, dicerem profectò, non mirum, ſi poſt eiuſdem ſolis occaſum, non aliter apud nos, quam apud Hyperboreos adeo exhorruit hyems, vt in eo-

rum

Digitized by Google

rum regionibus verſari videamur. Reliqua proſequerer, quæ vſquè ad prædictum eius occaſum, poſt diſceſſum ab hac Ciuitate Vldericus noſter in Vrbe rerum domina, & in nos etiam, licèt corpore remotus, beneficis tamen, atquè præſentibus radijs geſſit præclariſſima, niſi ſublimiores etiam Aquilæ temeritatis argui poſſent, ſi ſolem, quem aſpiciunt, per immenſa Cœli ſpatia ſubſequi contenderent, & ob eundem occaſum luctus excitarem, ac gemitus, ni ſolis tenebræ ſilentium ſuaderent, eumquè igneo propriæ charitatis carpento ad æthera ſubuectum, è quorum ſublimi axe nos perpetuo illuſtraturum confido, non equidem ludicris, & incompoſitis vocibus, vt olim à Quiritibus ſublatum eorum authorem, falſoquè numinibus adſcriptum, ſed, vt Eliam alterum, lætis pijſquè plaudendum crederem, vel Ægyptiorum more, qui ſub Oſiridis nomine ſolem adorabant, Harpocratis ſilentio venerandum.

Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google